



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hymni Ecclesiastici Novo Cultu Adornati

Clairé, Martin

Parisiis, 1676

Approbatio Doctorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12077

APPROBATIO DOCTORVM.

PURIOREM in Hymnis sacris Latinitatem desiderabat apud nos litterarum amor, ut in iis, rerum quas exprimunt majestati propemodum par esset venustas: vereri tamen aliunde poterat studium Religionis ab exquisito cultu, ne quid inde seu profanum, seu molle in eos obreperet, quo forte eorum sanctitas, seu vis quædam, quæ in iis est planè divina, paululum inminueretur. Artem inventit author noster, pius perinde ac eruditus, quæ novis facundiæ salibus antiquas condiret sententias, & quemadmodum sapientissima Judith discriminavit crinem capitit sui, assumpitque dextraliola & lilia, & in aures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornavit se, salva nihilominus integritate animi ac sanctimoniam; ita omnino Ecclesiasticus hic Poëta, servata omni quæ ab intus est, filia Regis, hoc est Ecclesia, gloria, sic externum illi novumque contulit splendorem, ut interno & sacro, quo animatur spiritui, nullam vim vel offensionem attulerit. Ita profectò sentiet quisquis opus hocce legerit, ubi nihil deprehendet, seu in dictione humile aut obscurum, seu in metro asperum aut incompositum; sed omnia eleganter & discretè disposita, concinnè & nitidè distincta. Novas in eo experietur illecebras, quibus ad laudes Deo canendas suavius provocetur, & sumque ex ipso novum hauriet, quo ad numen colendum frat alacrior. Lectorum esto judicium: nos quidem, quibus hæc legere incumbit ex officio, id testimonii non possumus non ferre, quod libellus iste, cui titulus est, *Hymni Ecclesiastici novo cultu adornati*, non modo inoffenso pede percurri possit, in quo cùm nihil habeatur ab hymnorum veterum sensu alienum, immò quæque sint ad amissim ei consona, tota doctrina Catholica sit, & Romanæ fidei consentanea, verum etiam nec sine casta singularique Christianæ mentis voluptate evolui queat; in quo vix sciamus utrum magis admiremur autho-

ris religionem , an peritiam. In cujus rei fidem nostrum h̄ic Chirographum apposuimus. In Sorbona die 7. Augusti 1676.

G. BOUST.

PIROT.

Facultas R. P. Provincialis.

Ego infrascriptus Provincialis Societatis Iesu in Provincia Franciae , permitto ut typis mandetur Liber , qui inscribitur *Hymni Ecclesiastici novo cultu adorna*i*, scriptus à P. MARTINO CLAIRE' Societatis nostrae Presbytero , & à tribus Theologis nostris approbatus. In cujus rei fidem has literas magna nostra subscriptas , & sigillo munitas dedimus. Venetiis in Aremorica , die 24. Jul. An. 1676.*

STEPHANUS DECHAMPS.

S V M M A P R I V I L E G I I.

Cautum est auctoritate Regis , ne quis in Regno ipsius aliisve locis ejus ditioni subjectis intra decem proximos annos *Hymnos Ecclesiasticos à R. P. MARTINO CLAIRE' è Soc. Iesu novo cultu adornatos imprimat aut divendat , præter eum quem idem R. P. MARTINUS CLAIRE' Typographum elegerit : qui secus fecerit , mulctâ indictâ , prout amplius in Diplomate Regio continetur coerebitur. Datum Versaliæ die 10. Augusti 1676. Sic signatum , De mandato Regis , DENIS.*